

mino plurimum commendantes, ipsum, & Dif-
finitores praefatos specialibus favoribus, & gratiis
prosequi volentes, & eorum singulares personas
a quibusvis excommunicationis, suspensionis, &
interdicti, aliisque Ecclesiasticis censuris, & poe-
nis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel
causa latis, si quibus quomodolibet innodata exi-
stunt ad effectum praesentium dumtaxat conse-
quendum harum serie absolventes, & absolutas
fore censentes, hujusmodi supplicationibus in-
clinati, de memoratorum Cardinalium, qui re-
mature discussa omnes, & quascumque Notas
marginales impressas ad supradicta Statuta nul-
lam vim legis, aut statuti habere consueverunt,
& declaraverunt, consilio, praesertim novam
Collectionem Statutorum Ordinis Carthusiensis,
ut supra correctam, & emendatam auctoritate
Apostolica tenore praesentium confirmamus, pa-
riter, & approbamus, illique inviolabilis Apo-
stolica firmitatis robur adjicimus, ac omnes, &
singulos Juris, & facti defectus, etiam substan-
tiales, si qui in illis quomodolibet intervenerint,
seu intervenisse dici, censeri, vel praetendi pos-
sent, supplemus, & sanamus.

Declaratio d.
Congregatio-
nis particula-
ris, circa No-
tas ad Colle-
ctionem.

Confirmatio
relatae novae
collectiois.

Clausa.

§.6. Decernentes eadem praesentes literas,
& Statuta praesertim firma, valida, & ef-
ficacia existere, & fore, suosque plenarios, &
integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad
quos spectat, & pro tempore spectabit in omni-
bus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis
respective inviolabiliter observari. Sicque in
praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, &
Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici
Auditores, judicari, & diffiniri debere; ac irri-
tum, & inane, si secus super his a quoquam
quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contige-
rit attentari.

§.7. Non obstantibus praemissis, ac Consti-
tutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec
non quatenus opus sit dicti Ordinis, ejusque
Provinciarum, & Monasteriorum, aliisque qui-
busvis, etiam juramento, confirmatione Apo-
stolica, vel quavis firmitate alia roboratis sta-
tutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque in-
dultis, & literis Apostolicis in contrarium praemi-
ssorum quomodolibet concessis, confirmatis,
& innovatis. Quibus omnibus, & singulis illo-
rum tenores praesentibus pro plene, & sufficien-
ter expressis, ac ad verbum permanentibus, ad praemi-
ssorum effectum hac vice dumtaxat specialiter,
& expresse derogamus, ceterisque contrariis
quibuscumque.

§.8. Volumus autem, ut earundem praesentium
literarum transumptis, seu exemplis,
etiam impressis manu alicujus Notarii publici
subscriptis, & sigillo personae in Ecclesiastica
dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fi-
des tam in iudicio, quam extra illud ubique lo-
corum habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus,
si forent exhibita, vel ostensa.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Ma-
jorem sub annulo Piscatoris die XXVII. Martii
MDCLXXXVIII. Pontificatus nostri Anno Duo-
decimo.

CXCVI.

Dat. 4. Maji
1688. An. 12.

Confirmatur Decretum Congregationis Ri-
tuum declarans Constitutiones Clem. VIII.,

& Clem. IX. circa Missas de Festo, loco illa-
rum de Requiem in Altaribus privilegiatis
diebus impeditis celebrandas.

Prima ex laudatis Constitutionibus edita fuit 1603.
Jan. 22. P. 12. altera vero 1669. Septemb. 13.
P. 3. In Const. autem Inn. XII. ed. 1697. Decem-
23. P. 6. confirmantur Decreta Congreg. Concilii
super celebratione Missarum.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Alias postquam fel. rec. Alexander PP. VII.
praedecessor noster per quasdam suas in si-
mili forma Brevis die 22. Januarii 1663. expedi-
tas literas dubia in diversis mundi Partibus oc-
casione Decreti Congregationis tunc existen-
tium S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus Praepo-
sitorum die 5. Augusti 1662. emanati, & ab ip-
so Alexandro praedecessore approbati, de non
celebrandis Missis Defunctorum in festis Ritibus
Duplicis, exorta dirimere cupientes, inter cete-
ra, quoad Altaria privilegia Apostolica pro An-
imabus fidelium Defunctorum in perpetuum
decorata, & in quibus proinde quotidie etiam in
festis Ritibus duplicis celebranda fuissent Missae
Defunctorum ex obligatione, declaraverat per
celebrationem Missarum de festo currenti satis-
fieri injunctis obligationibus, & Indulgentias per
hujusmodi privilegia Apostolica concessas Ani-
mabus fidelium Defunctorum in Purgatorio exi-
stentibus suffragari, perinde ac si celebratae fuissent
Missae Defunctorum ad formam dictorum
Privilegiorum, re. me. Clemens PP. IX. pariter
praedecessor noster aliam subinde ortam dubita-
tionem, utrum scilicet dictarum Alexandri praede-
cessoris literarum dispositio quo ad Altaria
pariter quidem privilegiata, sed non in perpetuum,
nec pro omnibus hebdomada diebus, &
ad quae Missae non ex obligatione, sed ex sola fi-
delium devotione celebrarentur locum haberet,
similiter tollere desiderans, declarationem a memo-
rato Alexandro praedecessore, sicut praemittitur,
editam, ad Altaria, ut praefertur, non in perpetuum,
sed ad septennium, seu aliud bre-
vius, vel longius tempus, ac non in omnibus,
sed aliquo, vel aliquibus tantum hebdomada
diebus, tunc & in futurum quandocumque pri-
vilegiata, auctoritate Apostolica extendit; &
proinde ut Missae, quae ibidem de festo currenti
in quo Missae Defunctorum celebrari non possent,
sive ex sola fidelium devotione celebranda
essent, suffragarentur, ita ut Animae Christi-
fidelium, pro quibus celebrarentur, Indulgentias
per privilegia hujusmodi concessas conse-
querentur in omnibus, & per omnia, perinde ac
si Missae Defunctorum ad formam eorundem
privilegiorum celebratae fuissent, eadem auctori-
tate concessit, & indulsit, & alias, prout in ip-
sius Clementis praedecessoris literis, etiam in
forma Brevis die 23. Septembris 1669. desuper
expeditis, quarum, & praefatarum Alexandri
Praedecessorum literarum tenores praesentibus
pro plene, & sufficienter expressis, & insertis ha-
beri volumus, uberius continetur.

Const. Alex.
VII., quo de-
claratum fuit
d. Missas die-
bus duplici-
bus in Alta-
ribus perpetuo
privilegiatis
aqui-
valere illis
Defunctorum

Const. Clem.
IX., quae ex-
tensa fuit d.
Alexandri de-
claratio ad
Altaria ad
tempus pri-
vilegiata.

Queritur, an
idem intelli-
gendum sit de
diebus impe-
ditis quidem
sed non du-
plicibus.

§.1. Cum autem postmodum, sicut accepimus
novum circa praemissum excitatum fuerit
dubium, videlicet, an supradictae Alexandri, &
Clem.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Inter gravissimas, multiplicisque Apostolicae
servitutis curas in eam peculiari solitudine
incumbimus, ut Christifideles sub suavi Religio-
nis jugo Divini Numinis obsequiis mancipati per
providam Superiorum electionem, illorumque
circumspectum regimen, & gubernium feliciori-
bus in dies, in sanctitate, & justitia proficiant in-
crementis.

Exordium.

§.1. Cum itaque alias fel. re. Alexander PP.
VII. praedecessor noster per suas in simili forma
Brevis die 30. Augusti 1664. expeditas literas
quoddam Decretum in Capitulo Generali du-
dum celebrato Ordinis Fratrum Min. S. Franci-
sci de Observantia nuncupatorum emanatum,
inter cetera super quadam alternativa inter Fra-
tres de Observantia, & Reformatorum nuncu-
patorum Familiae Cismontanae ejusdem Ordinis ob-
servanda in electione Commissarii Generalis dic-
tae Familiae Cismontanae; itaut Commissarius
Generalis hujusmodi ex Fratribus Reformatis pro
una, ac ex Fratribus de Observantia pro alia,
respective vicibus alternatim eligi deberet, ap-
probaverit, confirmaverit, & observari manda-
verit, & alias, prout in ipsis Alexandri praede-
cessoris literis, quarum tenores praesentibus pro-
expresse haberi volumus, uberius continetur.
Et (sicut accepimus) alternativa electio hujus-
modi haecenus eo modo, quo debuisset, observa-
ta non fuerit, Capitulum vero generale Ordinis
praefati in illius Domo Regulari Beatae Mariae de
Ara-Coeli nuncupata de Urbe jam celebrari ince-
perit, Nos volentes, ut eadem alternativa electio
inter Fratres praedictos de cetero quam exactissime
observetur, ac felici ipsis Ordinis statu, atque
prospera directione, quantum Nobis ex alto
conceditur, consulere cupientes; motu proprio,
ac ex certa scientia, & matura deliberatione
nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine,
quod alternativa electio praefata perpetuis
futuris temporibus inviolabiliter observetur,
eaque in praesenti Capitulo Generali a Fratribus
Reformatis incipere, & Commissarius Generalis
Familiae Cismontanae hujusmodi in eodem
Capitulo ex ipsis Fratribus Reformatis, ser-
vatis alias servandis, ac deinde alternis vicibus
ordine supra expresse eligi omnino debeat, au-
thoritate Apostolica tenore praesentium volumus,
& ordinamus. Inhibentes propterea sub
excommunicationis, ac privationis vocis activae,
& passivae, officiorumque per eos pro tempore
obtentorum, ipso facto absque ulla declaratione
incurrendis poenis dicti Ordinis Fratribus
suffragium, sive vocem in hujusmodi electionibus
habentibus, ne tam in praesenti, quam in futuris
Capitulis Generalibus Ordinis praefati ad
electiones Commissarii Generalis Familiae
Cismontanae hujusmodi contra praesentium
formam, & tenorem devenire audeant, seu praesu-
mant.

Hae alterna-
tiva confir-
mata fuerit
ab Alex. VII.

Sed executio-
ni non man-
data.

Statutum pro
executione d.
alternativa
sub certis p-
p-
nis.

§.2. Ac decernentes quascumque electio-
nes, si quas contra earundem praesentium
formam, & tenorem fieri contigerit, nullas, irri-
tas, inanes, nulliusque roboris, & momenti: ip-
sas vero praesentes literas, semper, & perpetuo
validas, firmas, & efficaces existere, & fore,
suosque plenarios, & integros effectus sortiri, &
obti-

Clausa.

Clementis praedecessorum declarationes sibi pa-
riter locum vindicarent etiam in diebus Domi-
nicis, & infra octavas Paschatis Resurrectionis,
Pentecostes, & Corporis Christi, aliisque anni
diebus, quibus, licet a Festo Duplici non impe-
diantur, adhuc tamen Missae Defunctorum, jux-
ta ritum, & morem Ecclesiae celebrari nequeunt,
quatenus nimirum Missae, quae iis diebus celebra-
re licet, servata ceteroqui dictorum privilegio-
rum forma, ad praefata Altaria privilegiata cele-
brarentur: Nosque Dubium hujusmodi Congre-
gationi Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E.
Cardinalium Sacris Ritibus Praepositorum exa-
minandum commiserimus, ac eadem Cardina-
lium Congregatio re mature discussa, nuper per
suum Decretum die 3. Aprilis proxime praeteri-
ti editum, praefatas Alexandri, & Clementis praede-
cessorum declarationes intelligendas esse pro
omnibus diebus, quibus juxta Rubricas Missae
Defunctorum celebrari non poterunt, respon-
derit. Hinc est, quod Nos ex commissa Nobis
caelitus dispensationis munere fidelium Defun-
ctorum Animarum in Purgatorio existentium,
suffragiis per amplius consulere cupientes, De-
cretum hujusmodi a memorata Cardinalium
Congregatione editum, ut praefertur, Apostoli-
ca auctoritate tenore praesentium confirmamus,
& approbamus, illique inviolabilis Apostolicae
firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper
in praemissis auctoritate supradictae Congrega-
tionis Cardinalium.

Decreti Con-
gregationis
affirmativum

Clausa.

§.2. Decernentes eadem praesentes literas
firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suos-
que plenarios, & integros effectus sortiri, & ob-
tinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore
spectabit in omnibus, & per omnia plenissime
suffragari, & ab eis respective inviolabiliter ob-
servari; sicque in praemissis per quoscumque Ju-
dices ordinarios, & Delegatos, etiam causarum
Palatii Apostolici Auditores, judicari, & defini-
ri debere; ac irritum, & inane si secus super his
a quoquam quavis auctoritate scienter, vel igno-
rante contigerit attentari.

§.3. Non obstantibus quatenus opus sit No-
stis, & Cancellariae Apostolicae Regula de non
concedendis Indulgentiis ad instar, aliisque Con-
stitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ca-
terisque contrariis quibuscumque.

§.4. Volumus autem, ut ipsarum praesentium
literarum transumptis, seu exemplis, etiam
impressis manu alicujus Notarii publici subscri-
ptis, & sigillo personae in Ecclesiastica dignitate
constitutae munitis, eadem prorsus fides in judi-
cio, & extra illud habeatur, quae praesentibus ip-
sis haberetur, si forent exhibita, vel ostensa.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem
sub annulo Pisc. die IV. Maji MDCLXXXVIII.
Pontificatus nostri Anno Duodecimo.

CXCVII.

Dat. 3. Junii
1688. An. 12.

Statuitur, ut executioni mandetur alternativa
in electione Commissarii Generalis Cismon-
tani inter Fratres Ord. S. Francisci de Obser-
vantia, & Reformatos.

Constitut. ed. 1684. Apr. 20. P. 8. agitur de Alter-
natione pro Provincia S. Jacobi in Hispania. Et
Inn. XII. Const. ed. 1692. Maji 17. P. 1. De Al-
ternativa inter Fratres Provinciae S. Nicolai.

tus, ac Magisterii gradus, cum solita insignium in talibus tradi solitorum exhibitione, servata tamen in omnibus forma, & dispositione Vientensis, & Trid. Conciliorum, quibus in aliquo derogare non intendimus, promovere, & sic promotis, quod omnibus, & singulis privilegiis, libertatibus, exemptionibus, favoribus, gratiis, & Indultis, quibus alii Baccalauri, licentiat, Doctores, & Magistri, in utroque, seu altero Jurium, seu Philosophia, aut Medicina hujusmodi in Universitatibus studiorum generalium promoti de Jure, vel consuetudine, etiam utuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, frui, potiri, & gaudere poterunt in futurum, etiam pariformiter, & aequè principaliter uti, frui, potiri, & gaudere possint, concedere: Quodque demum pro salubri illius Collegii regimine, & administratione, illius Doctores prefati quæcumque Statuta, Ordinationes, & Decreta, licita tamen, & honesta, Sacrisque Canonibus, & ejusdem Concilii Tridentini Decretis, ac Constitutionibus Apostolicis non repugnantia facere, & edere, illaque pro tempore, prout eis videbitur, & expediens fuerit, mutare, alterare, corrigere, revocare, & annullare, aliaque de novo condere, & edere, quæ postquam mutata correctæ, condita, ac de novo edita fuerint, eo ipso Apostolica auctoritate approbata censeantur, libere, & licite valeant, plenam, & liberam licentiam, & facultatem dicta auctoritate eorundem tenore presentium concedimus, & impartimur.

Facultas condendi Statuta.

Clausula.

§.1. Decernentes easdem presentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, nec sub quibusvis similibus, vel dissimilibus gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aliisque contrariis dispositionibus etiam per nos, & successores nostros Romanos Pontifices, ac Sedem Apostolicam quandocumque faciendis unquam comprehendendi, aut comprehensas censeferi, sed semper ab illis acceptas, & quoties illa emanaverint, toties in pristinum, & validissimum statum restitutas, & plenarie reintegratas, ac etiam sub posteriori data per eos, ad quos pro tempore spectabit eligenda de novo concessas intelligi, ac ab illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, & illis respective in omnibus, & per omnia plenissime suffragari: Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S.R.E. Cardinales etiam de Latere Legatos, aliosve quoslibet quacumque præminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & diffiniri debere: ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.2. Non obstantibus re.me. Pii V., & Sixti etiam V. aliorumque Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum contra illegitimos editis, & aliis quibusvis Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon quatenus opus sit dictæ Civitatis Comen., aliisque quibusvis etiam Juramento, confirmatione Apo-

stolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus, legibus quoque imperialibus, privilegiis, Indultis, & literis Apostolicis quibusvis Universitatibus studiorum Generalium, necnon dilectorum filiorum Scriptorum Archivi Romanæ Curie, aliisque Collegiis, & quibuscumque aliis locis, & personis, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, ac etiam de Consilio ejusdem S.R.E. Cardinalium sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis Clausulis, & Decretis in genere vel in specie in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per Clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, acsi de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata exprimerentur, ac infererentur, presentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanens, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§.3. Volumus autem, ut eorundem presentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum, tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipsis presentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XX. Novembris MDCLXXXVIII. Pontificatus nostri Anno Decimotertio.

CCII.

Extensio trium Decimarum a Sanctitate Sualolim indicatarum.

Dat. 25. Nov. 1688. An. 13.

In dictis harum Decimarum extat Constit. ed. 1683. Sept. 27. P. 7. Et ab Alex. VIII. Const. ed. 1689. Decemb. 16. P. 1. revocantur immunitates, & exemptiones ab oneribus publicis.

INNOCENTIUS PP. XI.

Ad futuram rei mem.

Alias a Nobis emanarunt Literæ tenoris subsequenti, videlicet: Innocentius Episcopus Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Cum ab ipso (quæ sequuntur vide suo loco) Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo octogesimo tertio. Quinto Kal. Octob. Pontificatus nostri anno septimo.

§.1. Nunc vero Nos pro ea, quam de totius Dominicæ gregis divinitus nobis crediti salute præcipuam gerimus sollicitudinem, provide considerantes causas, propter quas tres integræ Decimæ hujusmodi a nobis, ut præfertur, impositæ

Causa extensionis.

fitæ fuerunt; adhuc perdurare, Officii nostri partes esse duximus in presenti rerum calamitoso statu impositionem Decimarum hujusmodi modo, & forma infra scriptis extendere, & ampliare. Motu itaque proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolice potestatis plenitudine, Indictionem, & impositionem trium integram Decimarum prædictarum per nos, ut præfertur, factas, Literasque præinsertas hujusmodi, cum omnibus, & singulis in eis contentis ad aliam unam similem integram Decimam, quatuor ex quinque partibus alterius Decimæ, percipiendas, exigendas, & levandas ab omnibus, & singulis in eisdem præinsertis Literis nominatis, quos omnes ad hoc obligatos, intra triennium proximum, tribus aequalibus solutionibus, pro prima videlicet intra proximum diem Festum Sancti Michaelis Archangeli Mensis Maji anni proxime venturi 1689., & successive pro reliquis duabus solutionibus singulo quoque anno ratam partem intra Festum hujusmodi cuilibet anni immediate usque ad totalem solutionem, servata alias in omnibus, & per omnia eorundem nostrarum Literarum forma, & tenore, omnino volumus perfolvisse, tenore presentium extendimus, & ampliamus, sive aliam unam integram Decimam ac quatuor ex quinque partibus alterius Decimæ hujusmodi modo, & forma in eisdem Literis contentis, percipiendas, exigendas, levandas, & perfolvendas Apostolica auctoritate eorundem tenore presentium indicimus, & imponimus.

Extensio trium Decimarum ad unam aliam integram, & quatuor ex quinque partibus alterius intra triennium solvenda.

Clausula.

§.2. Non obstantibus omnibus illis, quæ in præfatis Nostris Literis volumus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

§.3. Volumus autem, ut ipsarum presentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & Palatii Cardinalis Camerarii prædicti, seu alterius ab eodem deputati Collectoris, seu Prælati Ecclesiastici, ejusque Curie sigillo obnignatis eadem prorsus fides in Judicio, & extra illud ab omnibus, & ubique adhibeatur, quæ ipsis presentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXV. Novembris MDCLXXXVIII. Pontificatus nostri Anno Decimotertio.

CCIII.

Confirmatur Decretum Congreg. Epif., & Reg. de primatu Collegialium S. Bonaventuræ de Urbe inter reliquos Collegiales Conventuales Ord. S. Francisci.

De Collegio S. Bonaventuræ vide Urb. VIII. Constit. ed. 1629. Septem. 26., P. 7., & de Regimine Canonici Alex. VIII. Const. ed. 1690., Decem. 6. Pon. 2. In Const. vero Inn. XII. ed. 1699., Maji 16. P. 8. agitur de primatu inter Dissidentes, & Provinciales Titulares.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Emanavit nuper a Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S.R.E. Cardina-

Lis inter memoratos Collegiales.

lium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita in Causa præcedentia inter dilectos filios Collegiales Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Conventualium nuncupatorum ex una, & Collegiales Collegii S. Bonaventuræ de Urbe ejusdem Ordinis ex altera partibus vertente Decretum tenoris, qui sequitur ult. in Causa Romana præcedentia vertente inter Collegiales Religionis Minorum Conventualium S. Francisci ex una, & Collegiales Divi Bonaventuræ de Urbe ejusdem Ordinis partibus ex altera S. Congr. Eminentiorum S.R.E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita Partibus informantibus, referente Eminentissimo de Angelis, censuit, ac declaravit, Collegiales S. Bonaventuræ præferendos esse omnibus aliis Collegialibus, etiam S. Francisci, Bononia, & Prage admissis ad Magisterium post admissionem ipsorum Collegialium S. Bonaventuræ ad Collegium. Romæ 14. Maji 1688. I. G. Card. Carpeneus B. Panciaticus Secretarius.

Decretum prædicti Congregationis.

§.1. Cum autem sicut pro parte Collegialium Collegii S. Bonaventuræ præfatorum nobis subinde expositum fuit, ipsi Decretum hujusmodi quo firmius subsistat, & servetur exactius Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiti plurimum desiderent, nos ipsos Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas, quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, Censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel Causa latis, si quibus quomodolibet innodata existunt, ad effectum presentium, dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter portetis inclinari, Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore presentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus; salva tamen semper in præmissis auctoritate memorata Congregationis Cardinalium.

Preces Collegialium S. Bonaventuræ.

Confirmatio relati Decreti.

§.2. Decernentes easdem presentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & diffiniri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausula.

§.3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit Collegiorum, & Ordinis præfatorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores, presentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanens ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum

Annulo Pis. die XX. Julii MDCLXXXVIII. Pontificatus nostri Anno Duodecimo.

C C.

Dat. 30 Julii 1688. An. 12.

Revocatur Breve segregationis quorundam Cœnobiorum Ordinis S. Francisci de Observ. a Provinciis Veneta, & Bononiensi, necnon aggregationis eorundem ad Provinciam Mediolanensem.

De segregatione Cœnobiorum in Hispania extat Constitut. ed. 1686. Jun. 28. Pont. 10. Et de divisione Provinciae S. Jacobi Inn. XII. Constitut. ed. 1694. Maji 19. P. 3.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

EX commissa nobis divinitus dispensationis officio, ea interdum, quæ certis rationabilibus ex causis etiam a nobis concessa sunt, ipsa subinde rerum experientia suadente, & majoribus ex causis, quibus præsertim felici Christianissimum sub suavi Religionis jugo Altissimo famulantium statui, & salubri gubernio consulitur revocamus, & immutamus, in hisque sollicitudinis nostræ studium interponimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Referretur hujusmodi Breve.

§. 1. Alias siquidem Nos dilecti filii nobilis viri Ferdinandi Caroli Mantuæ, & Montis Ferrati Ducis supplicationibus nobis humiliter porrectis inclinatis, nonnullos Conventus Fratrum Minorum Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum in ejus statibus consistentes, nempe Conventus Sancti Francisci Mantuan., & Sanctæ Mariæ Gratiarum, ac Sancti Rocchi loci della Volta nuncupati, & S. Mariæ Angelorum Terræ Hostiliæ ad Provinciam Venetam, ac Conventus Terrarum Viadanæ, & Guastallæ ad Provinciam Bononiensem. dicti Ordinis respective, tunc spectantes, necnon Monasteria Monialium, curæ, & gubernio Fratrum eorundem Conventuum respective subiecta, a memoratis Veneta, & Bononiensi respective Provinciis auctoritate Apostolica perpetuo separavimus, & dismembravimus, ipsosque Conventus sic separatos, & dismembratos, ac Monasteria Monialium sic separata, & dismembrata Provincie Mediolanensis Ordinis prædicti itidem perpetuo univimus, conjunximus, anneximus, & incorporavimus, & alias prout in nostris in simili forma Brevis die 18. Novembris 1683. desuper expeditis literis, quarum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur. Cum autem sicut idem Ferdinandus Carolus Dux Nobis nuper exponi fecit, ex dismembratione, & incorporatione Conventuum, & Monasteriorum hujusmodi plura in religiose tranquillitatis præjudicium exorta fuerint inconvenientia, adeo ut in Diffinitorio Generali Familie Cisfontanæ Fratrum dicti Ordinis pro majori Dei servitio, & regularis disciplinæ progressu, necnon pro pacifico legitimo, & regulato gubernio Conventuum, & Monasteriorum prædictorum, omnibusque emergentibus matura discussione perpensis, nuper consultum fuerit Conventus, & Monasteria

Causa ejus revocationis.

præfata propriis Venetæ, & Bononiensi respective antiquis Provinciis a quibus separata fuerint inveniri, ac sub dictarum Provincialium Ministris Provincialibus, ut antea fuerant, regi, eorundemque Ministrorum Provincialium Jurisdictioni, & gubernio respective subesse debere, quatenus nos desuper, & hujus Sanctæ Sedis, prævia præfatarum nostrarum literarum revocatione, assensus accederet. Nobis propterea memoratus Ferdinandus Carolus Dux humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Preces Ferdinandi Caroli Ducis Mantuæ.

§. 2. Nos igitur piis ipsius Ferdinandi Caroli Ducis votis ad salubriorem Conventuum, & Monasteriorum prædictorum directionem tendentibus, quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, separationem, & dismembrationem prædictorum Conventuum S. Francisci Mantuan., & Sanctæ Mariæ Gratiarum, ac Sancti Rocchi della Volta, & Sanctæ Mariæ Angelorum Terræ Hostiliæ, Terrarumque Viadanæ, & Guastallæ, ac prædictorum Monasteriorum Monialium curæ, & gubernio Fratrum eorundem Conventuum respective subiectorum a memoratis Venetæ, & Bononiensi respective Provinciis, necnon unionem, annexionem, & incorporationem eorundem Conventuum, & Monasteriorum memorate Provincie Mediolanensis a nobis factas, ut præfertur, ac emanatas desuper literas nostras prædictas auctoritate prædicta tenore præsentium revocamus, cassamus, irritamus, & annullamus, viribusque, & effectu penitus, & omnino vacuumus; ac revocatas, cassatas, irritas, & annullatas, viribusque, & effectu penitus, & omnino vacuas esse, & fore decernimus, & declaramus; ipsosque Conventus, & Monasteria prædicta Venetæ, & Bononiensi respective Provinciis prædictis eadem auctoritate restitimus, ac ad formam regiminis, quo antea emanatas nostras literas respective gubernabantur, reducimus.

Revocatio Brevis & Cœnobiorum, ac Monialium Monasteria ad prædictum statum reducantur.

Clausula.

§. 3. Decernentes easdem præsentibus literas semper firmas validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis ad quos spectat, & pro tempore quocumque spectabit inviolabiliter observari, & illis respective in omnibus & per omnia plenissime suffragari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiti debere: ac irritum, & inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus prædictis nostris literis, aliisque præmissis, ac Constitutionibus, Ordinationibus Apostolicis, necnon Ordinibus, & Provincialibus, ac Conventuum, & Monasteriorum prædictorum, aliisque quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consue-

judi-

tudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Major. sub Annulo Pis. die XXX. Julii MDCLXXXVIII. Pontificatus nostri Anno Duodecimo.

C C I.

Dat. 10. Nov. 1688. An. 13.

Eliguntur Doctores Collegii Comen. in Comites Palatinos, & Equites auratæ Militiæ, eisque conceditur facultas declarandi Notarios, Legittimos, Doctores, ac Statuta condendi.

Suppressum fuit Collegium Secretariorum Apostolicorum Constit. ed. 1678. Apr. 1. P. 2. Et ab Alexand. VIII. Constit. ed. 1690. Nov. 7. P. 2. confirmata fuerunt privilegia Collegii B. Ferdinandi in Indiis Occidentalibus.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Causa hujus Constitut.

Suprema Apostolica dignitatis specula in qua humilitatem nostram, meritis licet imparibus inscrutabili æternæ suæ Sapientie, atque bonitatis consilio collocavit Altissimus, ad præclara, quæ Catholica Ecclesiæ, rei que publicæ ex Doctorum Virorum Collegiis provenire noscuntur, commoda, & utilitates mentis nostræ aciem intendentes, ac memoria recolentes nos de numero Collegii Doctorum Civitatis Comen., unde ortum accepimus, aliquando fuisse, indeque ad dignitatem, & honorum gradus prodire cœpisse, ac propterea ipsam Collegium propensæ paternæ charitatis nostræ benignitate prosequentes, illudque, ac ejusdem Doctores præfatos condignis beneficentiæ nostræ favoribus, & gratis, ad majus dictæ Civitatis Comen. Patriæ nostræ decus, communeque omnium bonorum, condecorare volentes, dictorumque Doctorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodata existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes; Motu proprio, non ad ipsorum Doctorum, vel alterius pro ipsis nobis super hoc oblata petitionis instantiam, sed de mera liberalitate, certa que scientia nostris, deque Apostolica potestatis plenitudine, memorati Collegii Doctores tam præsentibus, quam futuros & eorum singulos in perpetuum ipso jure, & facto, in ipso eorum in dictum Collegium ingressu seu receptione, & admissione Sacri Palatii Apostolici, & aulæ Lateranensis Comites, ac auratæ Militiæ equites facimus, creamus, & deputamus, ipsosque aliorum Palatii, & Aulæ Comitum, auratæque Militiæ equitum hujusmodi numero, & consortio favorabiliter aggregamus, ac eos-

Electio Doctorum in Comites Palatinos, & Equites Auratæ Militiæ.

dem etiam torque aureo, ceterisque Comitum, & Equitum hujusmodi insignibus decoramus, eisque ac eorum singulis etiam in perpetuum, quod omnibus, & singulis privilegiis, prærogativis, exemptionibus, favoribus, gratis, & Indultis quibus alii Palatii, & Aulæ Comites, ac Militiæ auratæ hujusmodi Equites de Jure, & consuetudine, aut alias quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, frui, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, pari modo (citra tamen facultates a Concilio Trid. sublatas) uti, frui, potiri, & gaudere: Necnon illos, quos prævio examine ad idoneos, & fideles esse repererint, in Notarios, & Tabelliones publicos, ac Judices Ordinarios extra Romanam Curiam, recepto prius ab eis nostro, & Romanæ Ecclesiæ nomine fidelitatis debite solito juramento, creare, & instituire, ac de Notariatus, & Tabellionatus, ac Judicatus officii hujusmodi, ut moris est, investire: Præterea quoscumque utriusque sexus nothos, spurios, naturales, & manferos, copulative, vel disjunctive ex quocumque illicito, & damnato coitu procreatos, tam præsentibus, quam absentibus, seu mortuis eorum Parentibus, itaut ad eorundem parentum, necnon quorumcumque consanguineorum, affinium, & attinentium, agnatorum, & cognatorum, ac transversalium, cæterorumque proximorum suorum, & quorumvis aliorum successiones in quibuscumque rebus, & bonis mobilibus, & immobilibus, ac semoven., necnon juribus, & actionibus, etiam allodialibus, & precariis, & alias quomodolibet qualificatis, & nuncupatis (non tamen Ecclesiasticis) tam ex Testamento, quam ab intestato succedere, & ad illa hereditatis, Fideicommissi, substitutionis, legati, donationis inter vivos, & causæ mortis, ac quovis alio titulo sine præjudicio venientium ab intestato, devenire, admitti, & recipi, illaque consequi, & habere, ac de eisdem bonis, juribus, & actionibus disponere, ac in illis heredes, & successores instituire, & habere, necnon ad honores, dignitates, status, gradus, & officia Sæcularia publica, & privata, quæcumque recipi pariter, & admitti, illaque gerere, & exercere libere, & licite possint, & valeant, ac si de vero, & legitimo Matrimonio procreati essent, servata tamen forma literarum sel. rec. Pii PP. IV. Præd. nostri desuper editarum, legitimare, ac omnem ab eis genituræ maculam abolere, eosque ad primæva, & legitima naturæ jura restituere, & reducere: Ac insuper quoscumque emensis studiorum curriculis in Jure Canonico, & Civili, seu altero eorum per diligentem examinationem scientiæ, & moribus habiles, & idoneos esse invenerint, in utroque, seu altero Jurium hujusmodi, ac in Philosophia, seu Medicina per diligentem similitur examinationem, duorum, vel trium per eos eligendorum Doctorum, seu Magistrorum, vel licentiariorum ejus facultatis, in quam promovendi erunt, coram eis habendam, ac fidelem Magistrorum, seu Doctorum, vel licentiariorum eorundem attestacionem medio juramento eis faciendam peritos, ac scientia pariter, & moribus ad hoc habiles, idoneosque esse repererint, de eorundem Doctorum, seu Magistrorum, vel licentiariorum consilio, & assensu, ac eorum votis juratis, in Philosophia, aut Medicina hujusmodi, ad Baccalaureatus etiam formati, licentiatum, Doctoratus,

Facultas eligendi Notarios, Tabelliones, ac Judices.

Facultas declarandi legitimos ex coitu etiam damnato ortos.

Facultas conferendi gradus in utroque jure, Philosophia, & Medicina.

obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit in futurum, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari debere, illasque de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis nostre, vel quopiam alio defectu notari, impugnari, invalidari, in jus, vel controversiam vocari, nullatenus unquam posse. Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, & S.R.E. Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, & definiti debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac d. Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & Consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§.4. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides in iudicio, & extra illud ubique locorum adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Pisc. die III. Junii MDCLXXXVIII. Pontificatus nostri anno Duodecimo.

CXC VIII.

Confirmantur Resolutiones Congr. Rituum circa novam impressionem Missalis ad usum Fratrum Prædicatorum.

Clem. X. Constit. ed. 1671., Feb. 16., P. 1. agit de Missa S.S. Rosarii. Et Inn. XII. Const. edita 1692., Junii 8., P. 1. de Missis celebrandis Sabato Sancto.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

De Missis juxta resolutiones Congr. Cardinalium edendo.

Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Antoninus Cloche Magister Generalis Ordinis Prædicatorum, quod ipse Missale ad usum Fratrum dicti Ordinis a nonnullis ex Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus Congregationis Sacris Ritibus præpositæ diligenter revisum, ac ad antiquum ejusdem Ordinis ritum, quam maxime redactum, juxta ea, quæ circa novam impressionem Missalis hujusmodi a præfatis Cardinalibus die 22. Februarii præteriti resoluta, ac subinde a memorata Congregatione die 13. Martii etiam proxime elapsi approbata fuerunt, Typis imprimi facere quam primum intendit.

1. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, ipse Antoninus Magister Generalis præmissa, quo firmiter subsistant, & servantur exactius, nec quidquam in iisdem præmissis, eadem Congregatione inconsulta impostum immutari valeat, Apostolicæ confirmationis nostre patrocinio communiti plurimum desideret: Nos ipsum Antoninum Magistrum Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, disposita, atque decreta, ut præfatur a præfata Congregatione circa novam impressionem Missalis hujusmodi, auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robor adjicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate memorate Congregationis Cardinalium.

Preces Magistri Gener.

Confirmatio ad resolutionem.

2. Decernentes eandem præsentem literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus fortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit in omnibus, & per omnia inviolabiliter observari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, iudicari, & definiti debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausula.

3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit dicti Ordinis, ejusque Provinciarum, Congregationum, Conventuum, & Monasteriorum, quorumcumque, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Pisc. die XXVI. Jun. MDCLXXXVIII. Pontificatus nostri anno Duodecimo.

CXCIX.

Communicantur omnia privilegia, & indulgentiæ Congreg. Helveticæ Congregationi Bavaricæ Ordinis S. Benedicti.

Dat. 10. Julii 1688. An. 12.

De Con.

De Constitutionibus hujus Congreg. agitur Constit. edit. 1687., Mar. 21., Pontif. 11. Et ab Inn. XII. Constitut. ed. 1691., Aug. 11., Pontif. 2. eidem conceduntur privilegia Congreg. Casuensis.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

In suprema Sedis Apostolicæ specula meritis licet imparibus ab æterno Pastore collocati ad uberes bonorum operum fructus, quos Monastica Congregationes aspirante superni favoris auxilio in Ecclesia Dei proferre assidue fatagunt, paternæ dirigentes considerationis intuitum, rationi consentaneum reputamus, ut religiosa eorum studia, felicesque progressus, amplioribus in dies gratiarum, ac privilegiorum muneribus confoveamus, atque decoremus.

Refertur creatio d. Congregationis.

§.1. Cum itaque Nos alias nonnulla Monasteria Monachorum Ordinis Sancti Benedicti in Civitate Ratisbonen., ac in dominio dilecti filii Nobilis viri Maximiliani Emmanuels utriusque Bavaricæ Ducis S. R. J. Principis Electoris respectivo consistentia in unum corpus univiverimus, & conjunxerimus, sicque unita, & conjuncta, ac alia Monasteria ejusdem Ordinis illis certo tunc expresso modo aggreganda in novam Congregationem sub titulo Sanctorum Angelorum Custodum Bavaricam nuncupandam, ad instar Congregationis Helveticæ dicti Ordinis perpetuo erexerimus, & instituerimus, & alias prout in nostris desuper in simili forma Brevis die 16. Augusti 1684. expeditis literis, quarum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso, & inserto haberi volumus, uberius continetur. Et sicut pro parte dilectorum filiorum Cælestini Prædis, nec non Visitatorum, & aliorum Abbatum dictæ Congregationis Bavaricæ Nobis subinde expositum fuit, ipsi omnia, & singula Indulta, Immunitates, gratias, aliaque privilegia quæcumque hæcenus a Sede Apostolica Congregationi Helveticæ præfate, illiusque Monasteriis, Ecclesiis, Abbatibus, Monachis, & personis per nos, & Sedem eandem pariformiter concedi, & communicari, ac propterea opportune sibi in præmissis a Nobis provideri, & ut infra indulgeri plurimum desideret: Nos specialem ipsis Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodate existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, ac quarumcumque literarum Apostolicarum ad favorem memoratæ Congregationis Helveticæ quomodolibet, & quodcumque emanatarum tenores, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, supplicationibus eorumdem Exponentium nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati de nonnullorum ex Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus super negotiis dictæ Congregationis Bavaricæ deputatorum consilio, eidem Congregationi Bavaricæ, illiusque Monasteriis Ecclesiis, Abbatibus, Monachis, & personis nunc,

Preces Prædis, & Abbatum pro Communicatione.

Concessio memorate Communicationis.

& pro tempore existentibus, ut omnibus, & singulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, Indulgentiis, gratiis, & Indultis tam spiritualibus, quam temporalibus, quæ Congregationi Helveticæ præfate, ejusque Monasteriis, Ecclesiis, Abbatibus, Monachis, & personis hæcenus per Sedem Apostolicam, etiam per viam communicationis, vel extensionis, ac etiam cum clausula prohibitiva communicationis, aut alias quomodolibet, & qualitercumque concessa, & attributa fuerunt, ac quibus ipsa Congregatio Helvetica, illiusque Monasteria, Ecclesiæ, Abbates, Monachi, & personæ hujusmodi de Jure, usu, consuetudine, privilegio, vel concessione Apostolica, in genere, vel in specie, seu alias quomodolibet utuntur, fruuntur, & gaudent, ac uti, frui, & gaudere possunt, dummodo tamen sint in usu, nec revocata, aut sub aliqua revocatione comprehensæ, pari modo, & absque ulla prorsus differentia uti, frui, potiri, & gaudere libere, & licite possint, & valeant in omnibus, & per omnia, perinde ac si dictæ Congregationi Bavaricæ, ejusque Monasteriis, Ecclesiis, Abbatibus, Monachis, & personis hujusmodi nominatim, & expresse concessa fuissent auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuo concedimus, & indulgemus.

Clausula.

§.2. Decernentes eandem præsentem literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus fortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, Vicelegatos, & Sedis Apostolicæ prædictæ nuncios, iudicari, & definiti debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.3. Non obstantibus præmissis, ac nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de non concedendis Indulgentiis ad instar, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, aliisque quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis secundodictæ Congregationi, illiusque Superioribus, & personis in genere, vel in specie, ac alias sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis etiam iteratis vicibus in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§.4. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio, quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub V u u An.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem, sub An. Pisc. die XXIX. Nov. MDCLXXXVIII. Pontif. nostri Anno Decimotertio.

CCIV.

Statuitur, ut in Dioecesi Portugallen. lis censeatur legitime contestata per negativam, si Reus contumaciter respondere recusaverit.

Consl. ed. 1687., Maji 12., P. 11. tolluntur Franchitia pro reis in Urbe Roma, & ab Innoc. XII. eidem denogatur remissio Conslit. ed. 1692. Maji 12., P. 1.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Romanus Pontifex Ecclesiasticarum legum conditor, & moderator Judicarium Ordinem ne per Delinquentium exquisitis malitiis eludatur, ipsique Delinquentes ex sua calliditate impunitatem delictorum consequantur, solet nonnunquam immutare, aliaque facere, & ordinare, prout rerum ac temporum requirit status, & iniquorum protervia exposcit.

Exponi siquidem nobis nuper fecit Ven. Frater Joannes Episcopus Portugallen, quod in ejus Curia, & Dioecesi Portugallen. antiquis litis contestanda, tam in Civilibus, quam in criminalibus, & mixtis Causis observari solet stylus, quod rei super aliqua re conventi, vel de aliquo crimine accusati negative, vel affirmative debeant libello contra ipsos proposito respondere, alias Judices nequeant ad ulteriora valide procedere. Cum autem sicut eadem expositio subjungebatur ex stylo hujusmodi saepe eveniat, ut plures ex ipsis reis conventis metu poenae, seu Judicii differendi, aut alia forsitan de Causa respondere nolint, nec ad id Ecclesiastica Censura, aut carceratione, quas malunt indurati potius sustinere, cogi possint. Nobis propterea idem Joannes Episcopus humiliter supplicari fecit, ut quemadmodum fel. rec. Clemens Papa VII. praedecessor noster per suas in simili forma Brevis die 30. Maji 1592. pro Civitate, & Dioecesi Eborac. in quibus similis contestanda litis stylus observari solebat statuisset noscebatur, Nos similiter pro ejus Curia, & Dioecesi in remedium praemissorum statuere, & ordinare de benignitate Apostolica dignemur. Nos igitur ipsum Joannem Episcopum specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, a quibusvis excommunicationis, & suspensionis, interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, Censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, ac vestigiis Clementis praedecessoris praedicti in hoc omnino inhaerentes per praesentes volumus, statuimus, & ordinamus quod de cetero perpetuis futuris temporibus, si rei in Civitate, & Dioecesi Portugallen. tam civiliter, quam criminaliter conventi litem contumaciter in competenti termino eis praesigendo contestari recusaverint, seu noluerint, termino elapso lis ipsa per negativam pro legitime contestata habeatur,

Stylus contestanda litis in Dioecesi.

Preces Episcopi Portugallen. pro stylo observari solito in Dioecesi Eborac.

Statuti praedicti.

ac exinde Judices, coram quibus Causas pro tempore pendere contigerit ad ulteriora, etiam ad Causae conclusionem, & Sententiae definitivae prolationem, alias tamen legitime procedere valeant; nec eorum processus ex eo, quod lis ipsa in forma juris contestata non fuerit, impugnari, annullari seu invalidari debeat, seu possit. Et sic in praemissis, & singulis per quoscunque Judices, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, judicari, decidi, & terminari debere; irritum quoque, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Clausa.

Non obstantibus Apostolicis, ac in universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis Generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, dictaque Ecclesiasticae Portugallen. juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores praesentibus, pro plene, & sufficienter, expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permanens ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem, sub Annul. Pisc. die IV. Martii MDCLXXXIX. Pontif. nostri Anno Decimotertio.

CCV.

Conceditur Visitantibus Ecclesiae Fratrum Capuccinorum die 2. Augusti facultas applicandi Indulgentiam animabus Defunctorum per modum suffragii.

Dat. 16. Maji 1689. An. 13.

Eadem facultas concessa fuit Fratribus de Observantia, & Reformatis Ord. S. Francisci Consl. ed. 1687., Jan. 22., P. 11.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Lias fel. rec. Gregorius PP. XV. praedecessor noster omnibus, & singulis utriusque sexus Christianis vere poenitentibus, & confessis, ac Sacra Communione refeclis, qui aliquam ex Ecclesiis Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum nuncupatorum ubique existen., die secunda mensis Augusti a primis Vesperis usque ad occasum solis diei hujusmodi annis singulis devote visitassent, & ibi pro Christianorum Principum concordia, haereticum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effudissent, plenariam omnium peccatorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concessit, & alias prout in ipsius Gregorii Praedecessoris Literis desuper simili forma Brevis die 12. Octob. 1622. expeditis, quas perpetuis futuris temporibus valere voluit, uberius continetur.

Praedicta Indulgentia concessa fuit a Greg. XV. visitantibus illorum Ecclesias.

Preces Procuratoris Gen.

Cum autem sicut dilectus filius modernus Procurator Generalis dicti Ordinis nobis nuper exponi fecit Indulgentiam Plenariam, & peccato-

catorum remissionem per dictum Gregorium, praedecessorem, ut praefertur concessam, etiam animabus Christianis Defunctorum per modum suffragii applicari posse summopere desideret; nos pias ejusdem Procuratoris Generalis votis hac in re quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, auctoritate nobis a Domino tradita, ac Beatorum Petri, & Pauli Apost. ejus auctoritate confisi, Indulgentiam plenariam, & peccatorum remissionem Christianis delictibus praefatis Ecclesiis Fratrum Ordinis S. Francisci Capuccinorum dicta die secunda mensis Augusti, ut supra visitantibus, & praemissa peragentibus concessam, etiam Christianis Animabus, quae Deo in Charitate conjunctae ab hac luce migraverint per modum suffragii applicari posse, etiam perpetuo concedimus, & indulgemus. In contrarium facientibus quibuscumque.

Concessio d. facultatis.

Clausa.

Volimus autem, ut earumdem praesentium Literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prout fides tam in Judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quae ipsi praesentibus haberetur si forent exhibitae, vel ostensa.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem, sub Annul. Pisc. die X. Maji MDCLXXXIX. Pontif. nostri Anno Decimotertio.

CCVI.

Erigitur in Archiconfraternitatem Confraternitas Nominis B. M. V. in Ecclesia S. Stephani de Cacco de Urbe sita.

Conslit. ed. 1677. Julii 16. Pont. 1. Confraternitas Almae Domus Laurentiana de Urbe erecta fuit in Archiconfraternitatem.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Hinc Confraternitati concessa fuerunt Indulgentiae.

Nos alias Confraternitati sub invocatione SS. Nominis Beatae Mariae Virginis in Ecclesia Sancti Stephani de Cacco nuncupat. de Urbe Congregationis Monachorum Silvestrinorum canonice (ut asseritur) erectae ejusque Confratribus, & Confororibus nonnullas Indulgentias, & peccatorum remissiones, ac poenitentiarum relaxationes sub certis modo, & forma tunc expressis, auctoritate Apostolica perpetuo concesserimus, & alias prout in nostris in simili forma Brevis desuper expeditis literis, quarum tenorem praesentibus pro plene, & sufficienter expresso, ac ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur: Et sicut dilecti filii Officiales, & Confratres dictae Confraternitatis Nobis nuper exponi fecerant, ipsi Confraternitatem hujusmodi Archiconfraternitatis titulo decorari plurimum desiderant, Nos dictos Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulores personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad

Preces Officialium, & Confratrum.

effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Confraternitatem praedictam in Archiconfraternitate, cum omnibus, & singulis praerogativis, juribus, honoribus, & praerogativis solitis, & consuetis auctoritate praefata tenore praesentium, sine cujusquam praedictam in Archiconfraternitate, & institutum; ac ipsius Archiconfraternitatis sic erectae Officialibus, & Confratribus praesentibus, & futuris, ut ipsi alias quascumque Confraternitates ejusdem Instituti extra Urbem praedictam ubicumque locorum existentes eidem, Archiconfraternitati, servata tamen forma Constitutionis fel. rec. Clementis PP. VIII. Praedecessoris nostri desuper edita aggregare, illisque omnes, & singulas Indulgentias, & peccatorum remissiones, ac poenitentiarum relaxationes ipsi Confraternitati, sic in Archiconfraternitate, erectae a Nobis, ut praefertur, concessas, communicare libere, & licite possint, & valeant, auctoritate, & tenore praedictis itidem perpetuo concedimus, & indulgemus.

Erectio d. Confraternitatis in Archiconfraternitatem cum facultate aggregandi alias Confraternitates, & communicandi Indulgentias.

Decernentes eadem praesentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suoque plenarias, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos, & pro tempore quodcumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: sicque in praemissis per quoscumque Judices ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausa.

Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, & quatenus opus sit supradictae Confraternitatis, aliisve quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanens, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub annulo Pisc. die XI. Maji MDCLXXXIX. Pontificatus nostri anno Decimotertio.

CCVII.

Confirmantur, & extenduntur Decreta Congregationis Reformationis Tribunalium.

Dat. 28. Junii 1689. An. 13.

Inter infra laudandas Constitutiones ea tantum Pauli V. ed. 1612. Mar. 1. P. 7. pertinet ad omnia Tribunalia. Clem. IX. Consl. ed. 1667. Septem. 1. P. 1. extat Reformatio Tribunalis Burgi. Et Inn. XII. Consl. ed. 1692. Aug. 31. P. 1. reductio Tribunalium ad jus commune. Consl. vero ed. 1692. Novembr. 19. Pont. 2. reformatio Tribunalis Viarum.